New England Classical Journal

Volume 49
Issue 1 *Special Issue In Honor of Jacqui Carlon*

Pages 66-79

8-12-2022

De Sallustio Latine Praelegendo: Causae, Rationes et Consilia Docendi

Jorge Tárrega Garrido
University of Massachusetts, Boston, jorge.tarregagarrido@umb.edu

Follow this and additional works at: https://crossworks.holycross.edu/necj

Part of the Classics Commons

Recommended Citation
Tárrega Garrido, Jorge (2022) "De Sallustio Latine Praelegendo: Causae, Rationes et Consilia Docendi," *New England Classical Journal*: Vol. 49 : Iss. 1 , 66-79.
https://doi.org/10.52284/NECJ.49.1.article.garrido1

This Article is brought to you for free and open access by CrossWorks. It has been accepted for inclusion in New England Classical Journal by an authorized editor of CrossWorks.

De Sallustio Latine Praelegendo: Causae, Rationes et Consilia Docendi

Jorge Tárrega Garrido

Summa: Multae sunt viae, multi modi quibus utentes possumus auctores rimari eosque discipulis nostris in scholis monstrare et aperire. Describuntur hac in symbola rationes Sallustii in Vniversitatibus studiorum praelegendi, subsidia didascalica ac exercitia varia, quae omnia sunt usu et tractatione coram discipulis a nobis probata. Praeterea significantur causae cur multum iuvet linguam Latinam *per loquelam ipsam Latinam* docere, et quae beneficia ex his rationibus capiant discipuli qui sermonis rudimenta iamdudum perdidicerunt atque se auctoribus legendis et excutiendis dederunt. Referuntur postremo et exempla probationum et summa percontationis, ad quam, cursu academico peracto, harum rationum non amplius expertes discipuli responderunt.

Claves: Rationes docendi, Sallustius, Vniversitas studiorum, linguae Latinae usus.

Tantummodo incepto opus est, cetera res expediet (Sall. *Cat.* 20)

Plures in dies cum adhibeantur in totius orbis terrarum lyceis et academiis rationes docendi quibus omnes facultates linguae foventur atque exercentur, cumque plures reperiantur in annos symbolae et commentarii[1], in quibus homines docti et eruditi rationes linguae Latinae docendae quaerunt vividiores, efficaciores, cum studio aliarum linguarum hodiernarum coniunctiores, haud abs re nobis iam olim visum est illa consilia ad usum adducere et scholis nostris Vniversitariis accommodare. Quippe attulerat XVIII abhinc annos Professor von Albrecht (2002: 7-13) multas causas cur lingua Latina adhibenda esset in Philologia Latina, ex quibus praestant *argumentum ex rerum memoria*, quod multis saeculis nonnisi Latine de Philologia scriptum sit; *argumentum ex analogia*, quod aliis Philologiae provinciis eadem lingua periti utantur quam pervestigant et odorantur: sic enim Philologia Anglica Anglice traditur, Germanica Germanice; *argumentum commoditatis*, ut studiosi totius orbis terrarum in unam linguam communem animos quam maxime intendant; *argumentum ex rerum natura*: quae Latina sint, Latine tradantur; *argumentum ex re sive ex apto*, quod multo facilius sit Latine de rebus Latinis docere, Latine de vita Romanorum, Latine de verbis Latinis; et *argumentum utilitatis*, quod qui Latine scribit, ad scriptores intellegendos explicandosque eximie paratus sit.

Monstrabimus igitur proximis lineolis consilia quae diu perpendimus quibusque in Vniversitate studiorum Valentina, in Hispania sita, usi sumus. Ad exempla propria descendemus unius scriptoris, Sallustii nempe historici, qui quidem in Vniversitate studiorum Valentina anno secundo academico praelegitur. Voluimus iam imprimis, quamquam constitutae sunt ibi res a moderatoribus et argumenta in scholis tractanda, his modis uti eosque experiri. Neque defuerunt in primordiis difficultates, nam his nostris temporibus plerique discipuli, qui studia superiora ingrediuntur, nondum linguam Latinam *audiverunt* neque umquam impulsi sunt ut scripta *legerent*, potius ut verbum pro verbo *redderent* ex lingua Latina in sermonem patrium. Qua de causa viam munivimus eamque Latinam qua possint discipuli res percipere, cognoscere ac in peritia linguae Latinae progredi.

Nihilominus, sumus bene conscii, non omnes collegas in Facultate uti in scholis suis iis rationibus, quibus lingua *per usum* discatur, id est, loquendo, audiendo, scribendo, legendo, quin immo in tralaticias, quae dicuntur, methodos et vias iamdudum incumbunt. Vtut est, putamus his, quae inferius monstrantur, **exercitiis** discipulos multum progredi posse etiam in scholis tralaticiis rationibus dispositis: etiamsi ante scholas nostras discipuli aliis

[1] Vide, exempli gratia, Aguilar García 2020 & 2019, Arend 2018, Lloyd 2017, Owens 2016, Carlon 2016 & 2013, Patrick 2015, Minkova 2014, Ricucci 2014 & 2013, Coffee 2012.

 https://doi.org/10.52284/NECJ.49.1.article.garrido1

rationibus linguam didicerunt iisdemque post nostrum exemplum pergunt discere, tamen censemus exercitia hic proposita magno fore auditoribus emolumento. Planum simul est nostrum consilium et multiplex iam inde ab initio: ut exemplis et vero usu lingua fiat discipulis germanum communicandi instrumentum, non obscurum et inusitatum machinamentum[2]; ut res a Sallustio tractatae intellegantur eiusque genus scribendi examinetur; ut quaestiones, quae ad rem publicam administrandam et ad homines pertinent, penitus penetremus.

De locis selectis

Haec, de qua loquimur, disciplina in tres menses est constituta. Complectitur in summa quinquaginta fere horas, quae binas in scholas binarum horarum singulis hebdomadibus distribuuntur. Quae cum ita sint, nobis videtur amplitudo et numerus locorum, quos eligamus, ad horarum copiam esse accommodandus, ne sit sententiarum vel paragraphorum inanis congregatio et causa potius praetexta ut regulas grammaticas explicemus. Quem ad finem initium excerpsimus *Belli Iugurthini,* in cuius prioribus capitulis fundamenta narrationis iacit Sallustius atque belli origines adumbrat: quae scilicet producuntur ex capitulo V usque ad capitulum XVI illius operis. Hos, qui sequuntur, titulos singulis paragraphis imposuimus quo facilius discipuli primo obtutu teneant de qua re agatur:

V: Quid sit Sallustius scripturus. Post bellum Punicum secundum quid acciderit. Masinissa. Micipsa regnum obtinuit.
VI: Iugurthae virtus. Micipsa anxietate tenebatur propter Iugurtham.
VII: Iugurtha praefectus est Numidis in Hispania. Bellum Numantinum.
VIII: Novi atque nobiles Romani Iugurtham accendebant. Scipio monet Iugurtham.
IX: Litterae Scipionis Micipsae redditae.
IX-X: Micipsa Iugurtham beneficiis vincere aggreditur. Quid Micipsa ante mortem dixerit.
XI: Micipsa mortuo, disceptatio de regno.
XII: Hiempsal necatur. Nex Hiempsalis.
XIII: Alii Numidae Adherbalem secuntur, alii Iugurtham. Adherbal se Romam confert; etiam legati Iugurthae.
XIV. Loquitur Adherbal in senatu.
XV. Iugurthae legati respondent in senatu.
XV-XVI: Senatus consulitur.

2 Vide Carlon 2013, 106: "It [Latin] is frequently viewed as an artifact, a leftover from an elitist and antiquated educational system". Porro (112): "We must avoid at all costs teaching grammar without context, as if it were an artifact all on its own, disconnected from the language that defines it".

De singulis scholis

Singulae scholae quaternas in partes dividuntur:

1. Prolegomena: quid praeteritis scholis dictum sit. Locutionum repetitio. Res tractatae.
2. Lectio: lente dum legimus, plurima exempla praebemus, ut puta verba idem vel contrarium significantia, exempla ex rerum adiunctis, paraphrases. Discipulos identidem Latine exhortamur ut Latine respondere audeant[3], quod s ane non semper, sed saepenumero faciunt.
3. Exercitia (quae paulo inferius subiciuntur).
4. Denique paragraphum modo tractactam legimus atque, scrupulis iam solutis, gustamus. Neque enim agitur tantum de verbis et locutionibus explorandis, sed etiam de delectatione, teste Cicerone[4], in litteris habenda.

Quod ad usum linguae attinet, stat nobis scholas Latine tradere iam inde a primo die. Quid sit cur haec omnia Latine tractemus atque hunc usum loquendi putemus discipulos ad bonam frugem perducturum, causis a professore von Albrecht iam supra allatis, paucissimis absolvemus idque experimentis nostris: primum quod diuturna consuetudine discipuli aures paulatim assuefaciunt linguae propiusque ad eam accedunt; dein quod, cum eadem lingua utantur quam conantur perdiscere, eam a se ipsis abstractam et seiunctam nullo modo esse arbitrantur; tertium, quod structuris grammaticis, quas apud Sallustium legimus, semel ac saepius se exercent; postremo quod plurima vocabula memoriae mandant.

Exercitia

Ne exercitia innumera huc afferamus, ecce nonnulla selegimus exempla ad singula capitula aptata, ex quorum aspectu et specie plurima alia, si placuerit ratio, generari possint:

Exercitia ad capitulum V excogitata

A) Responde ad interrogata:

- Quale fuit bellum inter populum Romanum et Iugurtham?
- Quid finem fecit studiis civilibus?
- Quid sibi vult Sallustius antequam explanat belli initium? Quem ad finem talia dicit?
- Quis opes Italiae maxume attriverat?
- Fuitne Masinissa amicus Romanorum?
- Qua de causa fuit Scipioni cognomen "Africanus"?
- Quid fecerat bello Punico secundo Masinissa?

B) Responde ad interrogata:

Quaere in capitulo V verba idem significantia:

---

3 Minkova (2014: 298) multa praebet exempla, quibus utitur Caesarem in Academia sua praelegens. Multum enim iuvat, ut ipsa fatetur, discipulos interrogare, paraphrases exquirere ac summarium loci exarare. His adde utilissimam rationem exercitiorum concinnandorum a Carlon 2016 & 2015, Patrick 2015. Harrison 2010 prolatam.

4 Cic. *Epist*. VI, 12: "Est unum perfugium doctrina ac litterae, quibus semper usi sumus, quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem".

arrogantia		patentia
dirum		absolveret
diversa		explano
postea		pugna
quod		solitudo
altero		egregia
facultates (divitias)		facta

C) De morphologia:

Quaere in loco praeterita plusquamperfecta eorumque verborum enuntiatum indica.

D) De re

Quae erat contentio in Re Publica Romana, de qua Sallustius in capitulo V loquitur?

Exercitia ad capitulum VI excogitata

A) Iunge A cum B singulariter

A		B
Plurimum facere		ferire
Pleraque tempora in venando		anteire
Leonem atque feras		minimum de se loqui
Omnes gloriā		certare
Cursu cum aequalibus		agere

B) Sententias Latinas compone his vocabulis fretus:

- dedit- luxu- neque - ubi - corrumpendum – se – non – inertiae – adolevit - qui – primum
- Iugurthae – fore - regno – virtutem – existumabat – gloriae – suo - Micipsa
- eo – permotus – cum – tametsi – negotio - fuerat – multa – animo – initio – volvebat – laetus – vehementer – suo

C) Responde ad interrogata:

1. Indica sex artes quibus Iugurtha adulescens se exercebat
2. Quid terrebat Micipsam?
3. Quid saepe conturbat homines modestos apud Sallustium?
4. Erantne Numidae irati Iugurthae?
5. Quid forsitan accidisset, si Iugurtha dolis necatus esset?
6. Quid tu censes? Decetne hominem multum de se ipso loqui? Estne virtutis "minimum de se loqui"?

D) Quaere verba idem significantia in capitulo VI *Belli Iugurthini* (ex "Qui ubi" ad "de se loqui"):

vultu			potens	
praestaret			pugnare	
cum primum			bestias	
vulnerare			robustus	
consuetudo				

E) Quaere in capitulo VI *Belli Iugurthini* (ex "Quibus rebus" ad "anxius erat"):

- Accusativum cum infinitivo:
- Ablativum absolutum:
- Participium coniunctum:
- Sententiam concessivam:
- Gerundivum:
- Plusquamperfectum:
- Ablativum causae:
- Ablativum instrumenti:
- Duas proprietates Sallustii generis scribendi:

Exercitia in capitulum VII excogitata

A) Quid congruit?

Iugurtha volebat parēre	Romanos/Romanis/Romanas
Micipsa praefecit Iugurth..... Numid.....	Iugurtham-Numidis/ Iugurthae Numidas/ Iugurthis-Numidam
Misit auxilia	equis/equitum/equitatum
Saepe obviam ibat	pericula/periculos/periculis
Neque …..... eius inceptum frustra erat!	ullum/nullum/nemo

B) Quaere verba idem significantia in capitulo VII *Belli Iugurthini*:

fraudibus			decrevit	
difficiles			periclitari	
cupidus			monstrando	
putaverat			accidit	
sagacitas			acuto	

C) Quaere verba contrarium significantia in capitulo VII *Belli Iugurthini*:

clementia			fugiendo	
eodem modo			odiosus	
negligentia			amori	
maximā superbiā			ignavo	
raro			disiunxerat	

D) Dic aliis verbis:

1. Virtus eius regni tui gloriam amplificabit
2. Numantinos terrebat Iugurtha
3. Micipsa sic periclitatus est
4. Nostri maxime amabant Iugurtham
5. Maxime cupiebat gloriam militarem

E) Responde ad interrogata:

1. Cur nolebat Micipsa interficere Iugurtham?
2. Quomodo sperabat Micipsa Iugurtham necatum iri?
3. Quibus adiectivis describit Iugurtham Sallustius in capitulo VII?
4. Quid fecit Iugurtha ad animos Publii Scipionis alliciendos?
5. Terrebatne Iugurtha Numantinos?
6. Quid fit, Sallustio teste, si nimis utimur prudentiā? Quid fit, si nimis audaciter agimus?
7. Num deficiebat saepe in inceptis suis Iugurtha?
8. Quos sibi amicitiā comparaverat Iugurtha? Quibus rebus?

F) GRAMMATICA: Quaere in capitulo VII *Belli Iugurthini*:

- Duos Accusativos cum infinitivo:
- Gerundium:
- Vt consecutivum:
- Ablativum qualitatis:
- Cum narrativum:

G) De genere scribendi Sallustiano. Suntne in capitulo VII...?

- Variationes:
- Medii, qui dicuntur, soni:
- Chiasmi:
- Infinitivi historici:
- Accusativi plurales tertiae decl. in -is exeuntes:
- Numquid plura?

Exercitia ad capitulum XIII excogitata

A) Quaere verba idem significantia in capitulo XIII *Belli Iugurthini*:

factum			perfectis	
adicit			operam dabant	
confisus			iubet	
proelium			haesitent	
discessit			nece	

B) Responde ad interrogata:

1. Qui Numidae Iugurtham secuntur?
2. Suntne sponte secuti omnes Numidae Iugurtham?
3. Num Iugurtha devictus est ab Adherbale? Quid accidit post proelium?
4. Quibus rebus fretus volebat Iugutha iram mitigare Romanorum?
5. Suntne irā accensi Romani propter Iugurthae largitudinem?

C) Sententias Latinas compone his vocabulis fretus:

- itineribus contendit Galliam Quam maximis in ulteriorem
- potest generum maximas parat copias omnium quam potest
- totius sperant sese potiri Galliae posse
- eo volvebat negotio multa suo vehementer permotus animo cum
- legatum Marius iubet Manlium proficisci
- iubet erumpere milites Marius tollere atque portis clamorem
- imperat Cicero deprehendant Allobrogum comitatus *(IV declinatio!)* praetoribus ut
- ne Omnes transeant ope decet summā vitam homines niti silentio

D) De proprietatibus generis scribendi Sallustiani. Suntne in capitulo XIII...?

- Variationes:
- Medii, qui dicuntur, soni:
- Infinitivi historici:
- Accusativi plurales tertiae declinationis in -is exeuntes:
- Numquid plura?

De argumento, de re

Verba, quibus Sallustius opus aspersit, non sunt obiter neque velut in transitu tractanda, quin immo, simul atque de structuris grammaticis et vocabulis disserimus, simul atque locutiones et exempla plurima ad linguam ipsam pertinentia proferimus, haud raro consistendum est et in sententias incidendum in quibus Sallustius consulto nos, dum de Roma verba facit, alloquitur: de re publica administranda, de parvis et magnis corruptelis, de honoribus. Neque hic est locus ut totam aperiamus mentem Sallustii, quam multi alii in litteris veteratores interpretati sunt[5], quin immo ut de colloquio gravi et docto moneamus coram discipulis de opinionibus Sallustianis instituendo, quo habito multum proficient auditores *multaque*, ut Quintilianus ait,

5 Non mediocri operum affluentia cum abundent studia Sallustiana, satis est huc referre unum atque alterum commentarium, ex quibus commentariis perlectis venient discipuli, si libuerit, ad maiora: Kraus & Woodman 1997; von Albrecht 1989 & 1997; McGushin 1977; Ciruelo 1973; La Penna 1968; Syme 1964. Etiam Latine: D'Elia 1964, Vallaurius 1860, Burnouf 1821 & Valpy 1820.

secum referent[6]. Suademus igitur ut praefationes *Belli Iugurthini* et *Belli Catilinarii* imprimis legant atque animo volvant, dein ad haec respondeant:

1. Scribe summarium praefationum Sallustii in *Bellum Catilinarium* et *Bellum Iugurthinum*.
2. Quem ad finem scripsit Sallustius *Bellum Iugurthinum*?
3. Saepe disserit de ambitione et corruptelis populi Romani. Quid tu sentis de rerum descriptione, qua utitur? Distatne multum vita Sallustii a consiliis, quibus opera sua aspersit?

Ad quas quaestiones cum domi in pagellis responderint, quae mox ad magistrum erunt tradendae, fient in scholis colloquia, disputabunt inter eos viva voce atque de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocabitur, suas aperient opiniones iisque aliorum adversabuntur, etiam profecto illis Sallustianis, sic ut fateantur, Horatio auctore (*ep.* I, 14-15): "nullius addictus iurare in verba magistri, / quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes".

En concinnas acutasque Sallustii sententias collegimus, de quibus discipuli si *vel in utramque partem* disputabunt, multos capient fructus:

1. Cum omnis gloriā anteiret, omnibus tamen carus esse (cap. VI) / gloriā invidiam vicisti (cap. X)
2. Plurimum facere, minimum ipse de se loqui (cap. VI)
3. Proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentiā timorem, alterum ex audaciā temeritatem afferre plerumque solet (cap. VII)
4. Romae omnia venalia esse (cap. VIII)
5. En habes virum dignum te atque avo suo Massinissa (cap. IX)
6. Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas: officio et fide pariuntur (cap. X)
7. Nam concordiā parvae res crescunt, discordiā maximae dilabuntur (cap. X)
8. In omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur (cap. X)

De discipulis periclitandis

Veniendum est ad discipulos periclitandos et existimandos, quem ad finem nostras species interrogatorum non inducemus quin partim rationes addamus, ut legibus constitutum est, tralaticias. Duabus illis rationibus si utimur in periculo ultimo discipulis subeundo, et leges Facultatis Philologiae observamus, et efficimus ut agendi modi, quos in scholis adhibuimus, quoque in periculo significentur. Duas igitur partes proponemus discipulis, quarum altera continebit res et paragraphos in scholis tractatas, altera alios locos ex opera Sallustiana depromptos. Hic autem est notandum apud Hispanos quintam partem totius iudicii pertinere ad pensa et opera a discipulis suscepta et magistro reddita. Itaque, omnia in summa sic existimantur: *pars prima* (40) + *pars altera* (40) + Pensa (20) = 100.

Ecce harum duarum partium exempla discipulis periclitandis:

6 *Inst.* II 2, 8: "Ipse *[i.e. praeceptor]* aliquid, immo multa cotidie dicat quae secum auditores referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius".

PARS PRIMA

1. Sesquihora ad respondendum, nullo lexico adhibito
2. Nihil convertendum est nisi pars significata.
3. Ratio huius partis: 40p

Lege locum ex Sallustii *Bello Iugurthino* depromptum:

Numida mandata brevi conficit atque, uti doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. ***Qui postquam in aedis irrupere, divorsi regem quaerere, dormientis alios, alios occursantis interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere, quom interim Hiempsal reperitur occultans se tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat.*** *Numidae caput eius, uti iussi erant, ad Iugurtham referunt. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divolgatur. Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit. In duas partis discedunt Numidae: plures Adherbalem secuntur, sed illum alterum bello meliores.*

A) Responde ad interrogata (10p):

a) De quo Numidā hic loquitur Sallustius?
b) Quem interficiunt Iugurthae milites intrantes?
c) Vbi repertus est Hiempsal? Cur se ibi occultavit?
d) Terrenturne fautores Adherbalis? Cur?
e) Qui homines Iugurthae favent?

B) Quaere in loco (8p):

verba idem significantia		verba contrarium significantia	
patrat		vigilantis	
repugnantis		egressi sunt	
tradunt		manifesta	
invenitur		audax	
sceleris		postremo	

C) Converte in sermonem vulgarem partem loci adnotatam: a "Qui postquam..." ad "perfugerat" (10p.)

D) Quaere in loco VI proprietates, quae saepe a Sallustio in scribendo adhibentur (12p.)

PARS ALTERA

1. Sesquihora ad respondendum. Lexico uti lice
2. Nihil convertendum est nisi pars significata.
3. Ratio huius partis: 40p.

Lege locum ex Sallustii *Bello Iugurthino* depromptum:

> ***Postquam diviso regno legati Africā decessere et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt, certum esse ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse, simul et illorum pollicitationibus adcensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit.*** *Ipse acer, bellicosus; at is quem petebat quietus, inbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis quam metuendus. Igitur ex inproviso finis eius cum magnā manu invadit, multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu adcedit.*

A) Responde ad interrogata (10p):

a) Quando legati Romani ex Africā discessere?
b) Quid certissime Iugurtha sciebat?
c) Cur nullo timore Iugurtha tetendit in regnum Adherbalis?
d) Quibus verbis depingitur Adherbal?
e) Cuius finibus potitus est Iugurtha?

B) Converte in sermonem vulgarem partem loci adnotatam: a "Postquam..." ad "intendit" (10p.
C) Quaere in loco IV proprietates, quae saepe a Sallustio in scribendo adhibentur (4p)
D) De syntaxi: quid congruit? (16p)

In tantam claritudinem brevi pervenerat, ut _____ vehementer carus, _____ maxumo terrori esset	1. Nostris-Numantinis 2. Nostri-Numantini 3. Nostros-Numantinos
Existumabat virtutem Iugurthae regn_____ su_____ glori_____ fore	1. Regno suo-gloriae 2. Regni sui-gloriam 3. Regna sua-gloriis
Natura praeceps ad explend____ animi cupidin____	1. explendam-cupidinem 2. explendae-cupidinis 3. explendum-cupinidinis
Ne _____ seditio aut bellum oriretur, anxius erat.	1. Qua 2. Aliqua 3. Quo
Videt neque per vim neque insidiis _____ posse hominem tam acceptum popularibus	1. opprimi 2. opprimendi 3. opprimendos

Non se luxu neque inertiae _____ dedit	1. corrumpere 2. corrumpendam 3. corrumpendum
En habes virum dignum_____	1. tibi atque avi tui 2. te atque avum tuum 3. te atque avo suo
Morb____ atque aetat____ confectus	1. Morbo-aetate 2. Morbi-aetatis 3. Morbos-aetates
Amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas, officio et fide _____	1. parentur 2. pariuntur 3. parant
_____, Iugurtha, decet providere	1. Tibi 2. Te 3. Tui
Tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribue_____	1. distribuere 2. distribuendam 3. distribuendi
Iugurtha omn____ Numidi___ imperare parat	1. omni Numidiae 2. omni Numidia 3. omnem Numidiam
Nolite pati ____ nepotem Masinissae frustra a _____ auxilium petere	1. ego-vos 2. mihi-vobis 3. me-vobis
Aut quisquam _____ misereri potest?	1. nostros 2. nostri 3. nos
Rex finem _____ fecit	1. loquendi 2. loquendum 3. loquendo
Pauci, quibus bonum et aequom divitiis carius erat, _____ Adherbali et Hiempsalis mortem severe _____ censebant	1. subvenire-vindicare 2. subventum-vindicatum 3.subveniendum-vindicandam

Epilogus: de discipulis percontandis

Fuit nobis in animo hic rationes exponere quibus in Vniversitate studiorum Valentina nuperrimis annis usi sumus quaeque, ut putamus, ad maiorem peritiam linguae Latinae discipulos contulerunt maioremque notitiam auctorum provexerunt. Causae, quae nos imprimis ad has rationes adhibendas impulerunt, sunt cotidianis scholis, cotidianis exercitiis, cotidianis periculis pedetemptim confirmatae; quin etiam discipuli ipsi, in percontationibus

interrogati de his inceptis quid sentirent, cursus beneficia patefecerunt eiusque utilitates magni aestimaverunt: placuit enim, cursu academico peracto, discipulos percontari de rationibus a nobis usurpatis. Omnes igitur, qui scholae ultimae interfuerunt, numero ad XXVIII, ad haec interrogata libero animo responderunt:

1. Quid censes de scholis omnino Latine tradendis?
2. Putasne has docendi rationes tibi emolumento fuisse?
3. Maluisses scholas potius Hispanice (non Latine) traditas esse?

Alii discipuli singulatim, alii generatim ad interrogata responderunt, hac una condicione servata: nomen ut celarent neque id in pagella significarent. Ex responsis facile colligitur **omnibus discipulis** placuisse scholis Latine habitis interesse; neminem maluisse scholas sermone vernaculo audire; omnes putare has rationes sibi fuisse magno emolumento. Ceterum singulas inferius referimus opiniones, quae hic illic sparsae sunt:

Discipulorum responsa	Numerus discipulorum qui haec responsa reddiderunt
- Multa vocabula didici audiendo et legendo	9
- Linguam Latinam prorsus didici	8
- Magno nobis fuit gaudio	8
- Melius intelleximus mentem Sallustii	6
- Magnum studium, ne totius scholae filum perdamus, flagitatur	5
- Esset discipulis magno beneficio plures disciplinas Latine tradi	4
- Cogimur ut Latine cogitemus et mentem Latinam fingamus	3
- Lingua Latina hisce rationibus viva est, non mortua	2

Percontationis indicia	
Copia discipulorum	XXVIII discipuli
Cursus academicus	Secundus annus academicus Philologiae Classicae
Sedes	Facultas Philologiae, Vniversitas Studiorum Valentina in Hispania
Dies percontationis	a.d. XV Kal. Iun. ann. MMXVII
Ratio	Responsa in pagellis, nullo nomine prolato, manu scripta[7]

University of Massachusetts, Boston
jorge.tarregagarrido@umb.edu

[7] Velim imprimis gratias agere huius symbolae attentissimo iudici, mihi quidem ignoto, cuius utilibus consiliis et annotationibus fretus opusculum lima polivi et perfeci, necnon Professori Barrios Lech, quippe qui exemplum Latinum susceperit Anglice reddendum.

Index Bibliographicus[8]

De rebus didascalicis

Aguilar García, María Luisa. 2020. "De rationibus ac principiis quibus constat *Comparatio aliarum linguarum* (SLA) ad linguam Latinam tralatis ac conversis", *Classical World* 113.3: 335-356. https://doi.org/10.1353/clw.2020.0027

Aguilar García, María Luisa. 2019. "Usus adversus doctrinam? Grammatica in schola alterius linguae. Grammatica Latine tradita", *Thamyris* 10: 237-264.

Albrecht, Michael von. 2002. "De lingua Latina in Philologia Latina adhibenda", *Estudios Clásicos* 122: 5-16.

Arend, Alan van den. 2018. "Something Old, Something New: Marrying Early Modern Latin Pedagogy and Second Language Acquisition (SLA) Theory", *Teaching Classical Languages* 10.1: 1-32.

Carlon, Jacqueline. 2016. "Quomodo Dicitur? The Importance of Memory in Language Learning", *Teaching Classical Languages* 7.2: 109-135.

Carlon, Jacqueline. 2015. "Rethinking the Latin classroom: changing the role of translation in assessment", *The Classical Outlook* 90.4: 138-140.

Carlon, Jacqueline M. 2013. "The Implications of SLA Research for Latin Pedagogy: Modernizing Latin Instruction and Securing its Place in Curricula", *Teaching Classical Languages* 4.2: 106-122.

Coffee, Neil. 2012. "Active Latin. Quo tendimus?", *Classical World* 105.2: 255-269. https://doi.org/10.1353/clw.2012.0007

Harrison, Rebecca. 2010. "Exercises for Developing Prediction Skills in Reading Latin Sentences", *Teaching Classical Languages* 2.1: 1-30.

Lloyd, Mair Elizabeth. 2017. *Living Latin: Exploring a Communicative Approach to Latin Teaching Through a Sociocultural Perspective on Language Learning*, PhD Thesis, The Open University. https://doi.org/10.21954/ou.ro.0000bef6

Minkova, Milena. 2014. "De Caesare in scholis Latinis provectioribus destinatis modo activo proponendo", *Nordlit* 33: 297-309. https://doi.org/10.7557/13.3168

Owens, Patrick. 2016. "Barbarisms at the Gate: An Analysis of Some Perils in Active Latin Pedagogy", *Classical World* 109.4: 507-523. https://doi.org/10.1353/clw.2016.0047

Patrick, Robert. 2015. "Making Sense of Comprehensible Input in the Latin Classroom", *Teaching Classical Languages* 6.1: 108-136.

Ricucci, Marco. 2014. "Oltre i confini di Babele; riflessioni per una didattica della grammatica latina con il metodo neocomparativo", *Euphrosyne* 42: 225-43. https://doi.org/10.1484/J.EUPHR.5.125454

Ricucci, Marco. 2013. "Al cospetto di Theuth. Understanding reading tra note teoriche e tecniche didattiche", *Thamyris* 4: 11-32.

De litteris Latinis

Albrecht, Michael von. 1997. *Historia de la literatura romana,* Barcelona.

Albrecht, Michael von. 1989 (=1971). *Masters of Roman Prose, From Cato to Apuleius*, Anglice redditum a Neil Adkin.

D'Elia, Antonio. 1964. *Latinarum litterarum historia, Neapoli.*

Kraus, Christina S. & Woodman, Anthony J. 1997, *Latin Historians*, Oxford.

Vallaurius, Thomas. 1860. *Historia critica litterarum latinarum*, Augustae Taurinorum.

De Sallustio

Burnouf, Jean Louis. 1821. *Caius Crispus Sallustius ad codices Parisinos recensitus cum varietate lectionum et novis commentariis,* Parisiis.

Ciruelo, José Ignacio. 1973. *Salustio: política e historiografía,* Barcelona.

---

8 Omnia ligamina quae hic monstrantur sunt idibus Augustis ann. MMXX recognita et examinata.

La Penna, Antonio. 1968. *Sallustio e la "rivoluzione" romana,* Milano.
McGushin, Patrick. 1977. *C. Sallustius Crispus. Bellum Catilinae.* A Commentary, Lugduni Batavorum. https://doi.org/10.1163/9789004327627
Syme, Ronald. 1964. Sallust, Berkeley. https://doi.org/10.1525/9780520929104
Valpy, Abraham John. 1820. *Caii Crispi Sallustii opera omnia ex editione Gottlieb Cortii cum notis et interpretatione in usum Delphini, variis lectionibus, notis variorum, notitia literaria, recensu editionum et codicum et indicibus locupletissimis accurate recensita,* Londini.